



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis  
Prædicatorum**

**Nicolaus <Eymericus>**

**Venetiis, 1607**

Decretales, Firmiter credimus, & Damnamus, tit. de Summa Trinitate, &  
Fide Catholica.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13589**

PRIMA PARS DIRECTORII  
OFFICII IN QVISITIONIS  
HAERETICAE PRAVITATIS, ET EST  
DE FIDE CATHOLICA,

CVM COMMENTARIIS FRANCISCI  
Pegnae Sacrae Theologiae & Iuris vtriusque  
Doctoris.

*De summa Trinitate & fide Catholica, de voluntate  
maiori Decretalium.*

Innocentius III. in Concilio generali. †

*Tractat de Trinitate, & ipsis operibus: de fide, & articulis fidei.*

† Cap. i. habi-  
to Romæ a-  
pud Latera-  
num, anno  
1215.

C A P. I.

Paul post  
adjevit Bea-  
ti Thomæ cō-  
mētātis in  
hanc Doce-  
talem & seq.



IRMITER † credimus, & simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, aeternus, immensus, & incomprehensibilis, omnipotens, & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, tres quidem personæ, sed una essentia, substantia seu natura, simplex omnino, Pater a nullo, Filius a patre solo, ac Spiritus sanctus pariter ab utroque, absque initio, semper, ac sine; Pater generans, Filius nascens, & Spiritus sanctus procedens, consubstantiales, & coæquales, & coomnipotentes, & coæterni, vnu vniuersorū principium, creator omnium visibilium & inuisibilium, spiritualium, & corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualē & corporalē, angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu & corpore constitutam. Diabolus enim & alii Dæmones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali. Homo vero diaboli suggestione peccauit. Hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam individua, & secundum personales proprietates discreta, primo per Moysem & sanctos Prophetas, aliosq; famulos suos, iuxta ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinam humano genri tribuit salutarem. Et tandem vngeneritus Dei filius Iesus Christus, a tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria semper virgine Spiritus sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationabili & humana carne compositus, vna in duabus naturis persona, viam vitæ manifestius demonstravit. Qui cum secundum diuinitatem sit immortalis & impassibilis, idem ipse secun-

A dum humanitatem factus est mortalis & passibilis. Qui etiā pro salute humani generis, in ligno crucis passus & mortuus, descendit ad inferos, resurrexit a mortuis, & ascendit in celum, sed descendit in anima, & resurrexit in carne, ascenditq; patriter in utroque, venturas in fine saeculi, iudicatus viuos, & mortuos, & redditurus singulis secundum opera sua, tam reprobis, quam electis, qui omnes cum suis proprijs resurgent corporibus, quæ nunc gestant, ut recipiant secundum operas, siue bona fuerint, siue mala, illi cum diabolo, penam perpetuam, & isti cum Christo gloriam sempiternam.

B *Tractatur hic de sacramentis ecclesiasticis.*

Vna † vero est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. In qua idem ipse sacerdos est sacrificium Iesus Christus, cui facit octauius corpus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continetur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, potestate diuina, ut ad perficiendum mystrium unitatis, accipiamus ipsi de suo, quod acceptum ipse de nostro. Et hoc vnuque sacramentum, nemo potest confidere nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus secundum claves Ecclesiae, quas ipse concessit Apostolis, eorumq; successoribus Iesu Christi. Vide extra-  
ragitatem Bo-  
ni. & Tur-  
recremaram.  
in summa de-  
Ecclesia, li. j.  
c. 6. vbi lucu-  
lenter probat  
catholicę Ec-  
clesię vnitatem.

C *Sacramentum vero baptismi (quod ad Dei invocationem & individuæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filii, & Spiritus sancti, consecratum in aqua) tam parvulus, quam adulter in forma Ecclesiae a quocunque rite collatum proficit ad salutem. Et si post susceptionem baptismi, quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per verā potest semper penitentiam reparari. Non solum autem virgines & continentes, verum etiam coniugati per rectam fidem & operationem bonā placentes Deo, ad aeternam merentur beatitudinem peruenire.*

A 2 IDEM

4

## Prima pars Directorij

IDE M. + IN EODEM.

† Idem, scilicet Innocentius iij. in eodem concilio generali Lateranen. cap. x.

Pater, & filius, & spiritus sanctus, vera unitio  
ne, non collectiva seu similitudinaria sunt una esse  
etia, substantia, seu natura: que substantia non est gene  
rata, nec genita, nec procedens: quia illi alius non at  
tribuitur substantia, sed personis: nec per hoc in Tri  
nitate concluditur quatuor unitas. Contrarium senti-  
entes, ut heretici sunt censendi, nisi ab errore resipi-  
scant, & correctioni apostolice sedis se supponat.

C A P. I I.

**D**A M N A M V S ergo & reproba-  
mus libellum seu tractatum, quem  
Abbas Ioachim edidit contra magi-  
strum Petrum Lombardum, de vni-  
tate, seu essentia Trinitatis, appellas  
ipsum haereticum & insanum: pro eo quod in suis  
lib. r. sent. dixit sententijs, quoniam quædam summa res  
est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & illa non  
est generans, neque genita, neque procedens: vn-  
de afferit quod ille non tam Trinitatem, quam  
quaternitatem astruebat in Deo, videlicet tres  
personas, & illam communem essentiam quasi  
quartam: manifeste protestans, quod nulla res  
est, quæ sit Pater, & Filius, & Spiritus sanctus,  
nec est essentia, nec substantia, nec natura: quâ-  
uis concedat, quod Pater, & Filius, & Spiritus san-  
ctus sunt una essentia, una substantia, & una na-  
tura. Verum unitatem huiusmodi, non veram &  
propriam, sed quasi collectiām & similitudinariam  
esse fatur, quemadmodum dicuntur mul-  
ti homines, unus populus; & multi fideles, una  
ecclesia, iuxta illud: Multitudinis credentium  
erat cor unum, & anima una: &, Qui adhaeret  
Deo, unus spiritus est cum illo. Item, Ille qui  
plantat, & qui rigat, unus sunt: &, Omnes unus  
corpus sumus in Christo. Rursus in libro Re-  
gum: Populus meus, & populus tuus unus sunt.  
Ibi. 3. & 12. Ad hanc autem suam sententiam astruendam, il-  
lud potissimum verbum inducit, quod Christus  
de fidelibus inquit in Euangeliō: Volo pater, ut  
sint unus in nobis, sicut & nos unus sumus, ut  
sint consummati in uno. Non enim (vt ait) fide-  
les Christi sunt unus, id est, quædam una res, que  
communis sit omnibus, sed hoc modo sunt unus,  
id est, una ecclesia: propter catholicę fidei unita-  
tem: & tandem unus regnum propter unionem  
indissolubilis charitatis, quemadmodum in cano-  
nica Ioannis Apostoli epistola legitur: Quia tres  
sunt qui testimonium dant in celo, Pater, & Filius,  
& Spiritus sanctus: & hi tres unus sunt. Statim  
que subiungitur: Et tres sunt, qui testimonium  
dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis: & hi tres  
unus sunt: sicut in quibusdam codicibus inue-  
nitur. Nos, autem sacro approbante oculo, cre-  
dimus & confitemur cum Petro: quod una quæ-  
dam summa res est, incomprehensibilis quidem  
& ineffabilis, quæ veraciter est Pater, & Filius, &  
Spiritus sanctus: tres simul personæ, ac signilla  
al. & ideo um quilibet earundem: & ideo in Deo solum

A modo trinitas est, non quarternitas: quia quilibet in Deo solummodo trinitas non quarternitas respicitur.

niri non potest : & illa res non est generans, ne-  
que genita, nec procedens, sed est Pater qui ge-  
nerat : & Filius qui gignitur : & Spiritus sanctus  
qui procedit : ut distinctiones sint in personis, &  
unitas in natura. Igitur alius sit Pater, alius  
Filius, alius Spiritus sanctus : non tamen aliud,  
sed id quod est Pater, est Filius & Spiritus san-  
ctus idem omnino : ut secundum orthodoxam &  
catholicam fidem consubstantiales esse credan-

B tur. Pater enim ab *xterno* filium generando, *Ioa.* 10.  
suam sublantiam ei dedit: iuxta quod ipse testa-  
tur: Pater quod dedit mihi, maius omnibus est.

Ac dici non potest, quod partem substantia iux-  
illi dederit, & partem ipse sibi retinuerit: cum  
substantia patris indistingibilis sit: vt pote simplex  
omnino. Sed nec dici potest, quod Pater in Fi-  
lium transtulerit suam substantiam generando,  
quasi sic dederit eam Filio, quod non retinuerit

**C** ipsam sibi: alioqui desijset esse substantiam. Patet ergo, quod sine illa diminutio[n]e Filius nasc[er]e substantiam patris accipit: & ita Pater & Filius habent eandem substantiam: & sic eadem res est Pater & Filius, nec non & Spiritus sanctus ab unoque procedens. Cum ergo Veritas pro fide-

libus suis orat ad Patrem : Volo (inquietus) ut ip- Ioan. 7.  
si sint vnum in nobis , sicut & nos vnum sumus :  
hoc nomen , vnum , pro fidibus quidem acci-  
tum est in tellicione in iis charitatis in gratia : pro

pietur, ut intelligatur unde charitatis in gratia pro personis vero diuinis, ut attendatur identitas unitas in natura, quemadmodum alibi Veritas ait: Estote perfecti, sicut & pater vester celestis perfectus est, ac si diceret manifestius; Estote perfecti perfectione gratia, sicut Pater vester celestis perfectus est perfectione natura, utique videlicet suo modo, quia inter creatorem & crea-

D tum non potest tanta similitudo notari, quin inter eos maior sit dissimilitudo notanda. Si quis igitur sententiam uel doctrinam prefati Iacobim

in hac parte defendere vel approbare præsumptum  
rit, tamquam hæreticus ab omnibus euitetur. In  
nullo et tamen propter hoc Florensi monasterio  
(cuius ipse Joachim extitit institutor) volumus de-  
rogari, quoniam ibi & regularis est institutio, &

obseruantia salutis, maxime cum ipse loachim omnia scripta sua nobis assignari mandauerit. Apostolica sedis iudicio approbanda, seu etiam de dicta scripta quam propria ma-

E corrigenda, dictans epitomatam, quam propria manu subscriptis, in qua firmiter confitetur, se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ (disponente Domino) cunctorum fidelium mater est & magistra. Reprobamus etiam & cōdemnamus peruersissimum dogma in pī Almarici, cuius mentem sic pater mendacij excusat, ut eius doctrina, non tam hæretica censerda sit, quam insana.

COM-

# Inquisitorum cum Commentarijs.

## COMMENT. I.

**D**AMNAMVS ergo & reprobamus libellum, seu tractatum, quem Abbas Ioachim edidit contra magistrum Petrum Lombardum. ] Ad intelligendam hanc decretalem, & glossemata in eam conscripta, breuiter historian, cuius in ea sit mentio, recensabo. Petrus Lombardus, qui vulgo, Sententiarium Magister dicitur, qui floruit circa annos Domini 1140. lib. 1. sent. dist. 5. iuxta catholicā veritatem afferuit in diuinis tres esse personas inuicem distinctas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum; & naturam diuinam eis communem, quae nec generet nec generetur, nec spiraret nec spiretur. Contra hanc sententiam Abbas Ioachim monasterij Florensis, quod est in Calabria, unde ille fuerat oriundus, libellum edidit anno fere Domini 1195. docens essentiam diuinam generare & generari, spirare & spirari; Petrusque Lombardum ob eam opinionem hereticum appellauit. Hunc Joachimi errorem Innocentius iii. Pont. Max. in generali concilio Lateranensi Rom. e anno Domini 1215. celebrato, tanquam hereticum condemnauit: sententiamq; Petri Lombardi catholicę fidei consonā comprobauit. ac tale quidem est decretalis argumentum.

**b** Nos autem tacito approbante concilio. ] Haec tamen retulit Joachimi errorem, & rationes, quibus ille nebat: nunc catholicā veritatem explicat, & docet quomodo intelligenda sint auctoritates quas Joachim ad suum errorem afferendum inducet. multa in hunc locum tradūtā à Theologis lib. 1. sent. dist. 5. quae nos ideo omittimus, quia, ut prefati sumus, ad auctoris institutum non spectant. video Melchiorem Canū lib. 12. c. 7. de locis Theologie, vers. secunda preceptio.

**c** In nullo tamen propter hoc Florensi monasterio. ] Reſte admonuit me Illustrissimus Julius Antonius Sanctorius, Cardinalis sancte Seuerine, unus ex Inquisitoribus generalibus in rota republi ca Christiana, in vulgaris codicibus huc locum corrupere legi, ita: Florentino, cum legendum sit, Florensis scriptores enim & impreffores huius monasterii & ordinis ignorari, quia scriptum innenerunt, Floren. hoc est, Florensi, corrupte extenderentes distinctionem legerunt, Florentino.

**d** Maxime cū ipse Joachim omnia scripta sua nobis assignari mandauerit, &c. dicitans Epistolam, in qua firmiter confiteritur, se illam tenere fidem, quam Romana tenet Ecclesia. ] Quae hoc loco traduntur, paulo obscuriora sunt, quam ut facile percipi queant. ut ergo huic rescripto lux clarior afferatur, breuiter commemorare oportet quae de protestatione & obedientia Joachimi erga Romanam Ecclesiam tanguntur. Rem itaque paulo aliud reperens, sciendum est, Abbatem hunc Joachimum Theologiae peritia claruisse temporibus Lucij iii. Pont. Max. ad annos Domini 1181. qui multa molitus est in scripturam sacram commentaria, ac prefertim in Apocalypsim, extatque hodie Epistola Clementis Papæ exhortatoria ad Joachim Abbatem, ut compleat expositionem in librum Apocalypsim, & opus concordie veteris & noui testamenti.

**A**ti incipit iussu Lucij Papæ iii. & Urbani iii. eius successoris, quæ nunc legitur in eiusdem Abbatis libro concordie noui ac veteris testamenti impressa Venetijs anno 1519. in principio. At quia humana fragilitas sepe homines nutare patitur, & à via veritatis longius deflectere, idem Joachim in Petrum Lombardum, qui vera scripsit de processione, & distinctione diuinarum personarum, inuictus est, sententiam falsam astrinxit quam Innocentius iii. in generali concilio condemnauit. statuit tamen ne ob hanc particularis libri cōdemnationem, eius monasterio derogaretur, quia protestatus fuerat Joachim se tenere fidem Ecclesiæ ea vero protestatio ita habet.

## PROTESTATIO ABBATIS Joachim.

**V**NIERSIS, quibus litteræ ista ostēs fuerint, frater Joachim dicitus, Abbas de Flore, eternam in Domino salutem.

Sicut ex litteris domini Papæ quondam Clemens, quæ apud nos sunt, percipi potest, ex mandato domini Papa Lucij, & domini Papa Urbani natus sum aliqua scriptitasse; & hucusq; quod occurrit ad gloriæ Dei scriptitare non definito. Deniq; librū Concordie quinq; voluminibus comprehensem, expositionem Apoc. viii. partium titulis insignitum, Psalterium decē chordarum tribus voluminibus incisum, prout Deus melius inspiravit, & facultas ingenij affuit, ad consummationē conduxi; præter alia, quæ in paruis libellis seu contra Iudaos, seu contra Catholicę fidei aduersarios eomprehendi; Et dum sum in hoc corpore præseruatus ad adificationem fidelium Christi, & maxime monachorum, dare operam nō postpono. Quia vero pro angustia temporum nō potui hucusq; opuscula ipsa, præter librum Concordie, Apostolico culmine præsentare, vt ab eo corrigerentur, si qua ibi (quod non abnuo, et si mihi conscientia non sum) occurserint corrigenda, & incertus est homini numerus dierum suorum, si me contingit prius egredi ex hac luce, quæ possim sed m quod accepi in mandatis, siquidem ea conditione suscepit dictanda, vroes quidem libros ei cui datum est omnimode magisterium, præsentarem; Rogo ex parte Dei omnipotens Coabbates meos, & priores, & ceteros fratres metuentes Deum, & ea quæ posse videatur, auctoritate præcipio, quatenus præsens scriptum, aut exemplar habentes secū ac si pro testamento opuscula, quæ haec tamen confecisse videor; & si quid me de nouo vifq; ad diem obitus mei contingit scriptitare, quam citius poterint collecta omnia, relictis in salua custodia exemplaribus, A apostolico examini representent, recipientes ab eadem sede vice mea correctionē, & exponentes ei meam circa ipsam devotionem & fidem; & quod ea semper paratus sim, quæ ipsa statuit, vel statuerit, obseruare, nullamque meam opinionem contra eius defendere sanctam fidem, credens ad integrum quæ ipsa credit, & tā in omnibus, quam in doctrina suscipiēs correctionem, abiciens quod ipsa abject, suscipiens quod susci-

A. p. 28

pit ipsa; credens firmiter non posse portas inferi præualere aduersus eam, et si ad horam turbari & procellis agitari contingat, non deficere fidem eius usque ad consummationem facili.

Hoc scriptum feci ego Joachim Abbas, & propria manu roboraui anno Dominicæ Incarnationis MCC. & sic me tenere confiteor, sicut in eo continetur.

*Illiud hic non omiserim, Honorium Papam iij. anno Domini 1221. declarasse, quod per huiusmodi cōdemnationē, de qua in d.c. damnamus. ipse Joachim non hereticus, sed proper confessorum & protestationem præfasam catholicus reputetur. Item quod nullum preiudicium monasterijs & personis ordinis Florensis, cuius ipse exstitit institutor, factū censatur. Honorij autem declaratio, ex Regestō eiusdem in biblioteca Vaticana, & bibliotheca item Illustrissimi Iulij Antonii Sanctorij Cardinalis sanctæ Seuerinæ, qui nunc successor est eiusdem Abbatis Joachim in Abbatia, ita habet.*

**HONORIVS, &c. CVSEN TINO**  
Archiepiscopo, & Episcopo Bisniaciensi.

**E**x parte dilectorum filiorum Abbatum, & conuentuum de ordine Floris tam capitulum quam membrorum, fuit propositum coram nobis, quod is qui saluti hominum inuidet & quieti, occasione assumpta ex eo quod libellus, quem Abbas Joachim contra bonæ memoriae magistrum Petrum Lombardum edidit, in generali fuit concilio condemnatus, contra eos nonnullos tam clericos, quam laicos, prælatos & subditos concitauit, qui ut ipsos ab otio contemplationis auertat, & funes extendentes in laqueum pedibus eorumdem, ponant eis scandalum iuxta iter, ipsis obijcent repromando, quod idem Abbas, qui pater & institutor fuit ordinis eorumdem, hereticus ab ecclesia Dei habetur; Propter quod non solum simplices laici participes a confortio eiusdem ordinis aduertuntur, sed etiam fortes, qui ut cibo solidi: vide lito † didicerunt, & ad discretionem boni & maturi legendi. li exercitatos pro consuetudine habent sensus, circa instituta eiusdem ordinis incipiunt fluctuare. Licit igitur prædictus libellus, siue tractatus condemnatus fuerit in concilio memorato; quia tamen idem Joachim omnia scripta sua Romano mandauit Pontifici assignari, Apostolice fedis iudicio approbanda; seu etiam corrigenda, dictans epistolam, cui propria manu sublapisit, in qua firmiter est confessus, se illam fidem tenere, quam Romana tenet ecclesia, quæ (disponente Domino) cunctarum fidelium mater est & magistra. Et per Apost. Scrip. mandamus, quatenus per totam Calabriam faciat publice nuntiari, quod eum virum catholicum reputamus, & regularem obseruantiam, quam instituit, salutarem, eos qui ordini memorato ex hoc detrahere, vel insultare præsumperint, mo. præm. sub. Apost. ob. castigates. Dat. Lateran. xij. Kalen. Ian. anno v.

e Reprobamus etiam & condemnamus perfidissimum dogma impij Almaricij. ] Alias Al-

A malici, in Bononiensi Almarici, cuius sectatores beatus Thomas par. 1. q. 3. art. 8. Almarianos appellat: fuit autem Almaricus natione Gallus, patria Carnotensis, Lutetiae Parisiorum Theologiae doctor creatus. floruit anno Domini 1204. de hoc multa Casarius lib. 5. dialogorum. dist. 5. Huins error damni quoque sunt in generali Concilio Lateranensi, ea potissimum causa Roma celebrato, anno Domini 1215. ex chronicō summorum Pontificium viginti errores huius Almarici colliguntur. Præteolus lib. 1. de sc̄tis hereticorū, uoem eius heres refert. Vincentius autem in speculo historiali lib. 30. c. 7. sex recenset heres, quas refert. B Eymericus par. 2. q. 7. nro. 3. Hic Almaricus communius traditur Lutetiae anno Domini 1208. Almarici hæreticus bustus.

At cum multa huius fuerint heres, cur summus Pontifex hic numero singulari dicit se dogma eius cōdemnare, neq; enim unum solum dogma proficitbatur? Sed non refert, nam uenit dogmati generale est, ac si diceret Papa se uniuersam eius doctrinā condemnare, quod satis illa indicant verba, quæ sequitur, videlicet: ut eius doctrinā tā hereticis censenda sit, quam insana, cur autem insana ratione facile intuebitur, qui errores eius legerat, quoniam nonnullos etiam recenset B. Antoninus 4. par. tit. C 1. cap. 7. §. 2. vers. reprobatur etiam. Et Turecremata in summa de Ecclesia. lib. 4. par. 2. c. 35.

**D E S V M M A T R I N I T A T E E T**  
fide catholica de lib. vi. Decretal.

**GREGOR. X. I N G E N E R A L I**  
Concilio Lugdunensi.

Spiritus sanctus aeternaliter a patre & filio, tantum ab uno principio, & unica spiratione procedit. Joan. And.

### CAPITVLVM VNICVM.

**I**DELI ac deuota professione fatemur, quod Spiritus sanctus aeternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principijs, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione, procedit. Hoc professio est haec tenus, prædicavit & docuit, hoc firmiter tenet & prædicat, profitetur & docet sacrosancta Romana ecclesia mater omnium fidelium, & magistra. hoc habet orthodoxorum patrum atque doctorum Latinorum, pariter & Graecorum incomutabilis & vera sententia. Sed quia nonnulli propter irrefragabilis præmissæ veritatis ignorantia, in errores varios sunt prolapsi; Nos huiusmodi erroribus viam præcludere cupientes hoc sacro approbante concilio; damnamus, & reprobamus omnes, qui negare præsumperint aeternaliter Spiritum sanctum ex Patre, & Filio, procedere, siue etiam temerario auctu assertere, quod Spiritus sanctus ex Patre, & Filio tamquam ex duabus principijs, & non tanquam ex uno procedat.

COM-